

I. N. 7.

SPIRITUUM CUM LYMPHA CON- JUGIUM,

DEO auxiliante,

Consensu Gratiōssimæ Facultatis Medicæ,

PRÆSES

DN. JOHANNES THILE,

Medicinæ Doct. & Prof. Publ. Ordinar.

Facultatis suæ p. t. Decanus, ut & Sereniss.

Princ. Servedtâ-Anhalt. Archiater,

⁊

RESPONSURUS AUTOR

JOHANNES CONRAD Langenstatter /

Servedtâ Anhalt.

Publicæ Philiatorum disquisitioni

In Auditorio Medico

Ad d.

Mo. M. DC. LXXXVI.

exponent.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



L. M. 7.

SPIRITUM
CUM LYMPHA CON
JUGIUM

DEO SUISSANT
Consilio Gratioso Suis Imperatoris
P. R. E. S. S. E. S.

DR. JOHANNES THIE
Medicinae Doct. & Prof. Publ. Ordinarij
Facultatis Imper. Decanus et Regent
P. R. I. N. C. I. S. S. E. I. V. E. L. L. A. - A. N. N. A. L. I. S.

LEONORIS THIE
JOHANNES CONRADUS THIE

Tabula I. N. I. M. I. T. I. O. N. U. M.
In Annotato N. O. T. A. T. O.

OPUS
V. T. T. I. C. U. M.
T. H. I. E. M. A. T. T. I. I. S. I. N. T. I. T. U. M.





PROOEMIUM.

Non novas meditamur nuptias, sed antiqui fœderis solemnia jucundâ contemplatione recolimus: Sub ipsis enim humani ortûs auspiciis spiritui lymphæ nupsit, intemeratam fidem æternûm, si per justam læsi Conditoris indignationem licuisset, servatura. Cujus fidissimi paris quàmvis non obscura exordia dignitatesq; officii summæ pateant, tot tamen difficultatibus impedita extant, ut, quod de gentilium Diis Cicero pronunciabat, *facilius quid non, quàm quid sint, desinire liceat*. Neque enim antiquos fatigavit modò, sed & recentiorû ingenia probè exercuit hæc materies; utut in dubio positû, utri parti sit assentiendû? Qui enim dicacis magis, quàm veracis Philosophiæ commenta, negataque Chimix Matheseos & Anatomix

A 2

ad.

adminicula, illis temporibus objiciunt, rursus
impotentis animi vitio, non sine impietatis su-
spicione, damnantur; dum omnia mechani-
cè in vivis perfici

— — *Magnumq; novas per inane figuras
Fortunâ non arte regi,*
cum *Claudiano* asseverant; ipsamqve adeò a-
nimam pinealis glandulæ centro includentes,
securi de bestiarum plurium consortio aliquid
cum hominibus commune habentium. Non
est tamen, cur successum desperemus, aut cum
Hermolao Barbaro (*Monlorio teste in quest.
de Entelech. circa fin. p. 412.*) Dæmonem
postulemus interpretem, quippe infra medio-
critatem sapere, quàm vel serviliter assentiri,
vel impiè erudiri malumus. Hinc intrepidè
negotium, quantumvis difficile, Divino sub-
sidio, bonorumqve veniâ, (sine quâ rarus mor-
talium labor;) freti aggredimur.

THESIS I.

Argumentum disponit.

TAmetsi verò animo sedebat, spirituū tantum & lymphæ
ingenium mutuaqve officia persequi; id tamen negle-
ctâ

Etā animæ directricis naturā, præstari vix posse statim intelleximus. Quare pauca, veritati conformia, nostroque argumento fœneratura lucem, præmittemus; hinc potiori negotio expedito, calamitates nostrorum conjugatorum, solatia interim meditaturi, expendemus.

THESIS II.

De numero animarum sollicita est.

Olim sanè abundabat natura animabus, dum præter Entelechiam Aristotelis, Platoniorumque motricem, una in vegetabilibus (quidam adjecere specificam aliam,) duæ in brutis, in homine tres, quidni quatuor, (cùm Genitalis idem ac reliquæ sibi privilegium vindicare potuisset?) numerabantur. Hodie, si rationalem, quo malè sanò vocabulo mentis Divinitatem corrumpunt, excipias, reliquæ ad unum omnes desiderantur. Siquidem neotericorum plurimi ad Stoicorum (cujus *Aristot. l. 5. de Anima* meminit;) opinionem accedunt, nullam omninò spiritus inter atque animam; rectorem ac instrumentum differentiam admittentes, ipsâ etiam *Hippocratis* auctoritate ex *lib. 7. Epid. textu* extortâ parùm adjuti; cum spiritum pro animâ, non insolito ipsi more, ibi poni contextus sponte aperiat.

THESIS III.

Luci animæ dignitatem defert.

Neglectis itaque Paganorum reliquorumque (siquidem veritati, non vanitati litamus) inanibus definitionibus,

A 3

bus,

bus, distinctionibus, abstractionibus, verissimè à *Barclajo* pro
ridiculis ineptæ sapientiæ acuminibus habitis; elementa scri-
pturæ sacræ, naturæ ac menti conformia lucem commen-
dantes unicam, sectabimur. Nescit namq; , præter aquã (An-
tiquorum Proteum) & Spiritus, plura mater alma princi-
pia; quæ quidem, si cui *corporis, animæ, spiritus; salis*
item *sulphuris ac mercurii; humidæ calidique*, vel deniq;
ignis & aquæ Hippocraticæ vocabulo (modò seminalem
spirituum seu salium potestatem complectatur) explicare
libuerit, per nos licebit. Nam ut mysterium regenera-
tionis nunc non attingam, infallibilis Verbi Divini testi-
monium, *tria esse in terris, Aquam, spiritum, sanguinem*
1. Job. 5. asserens solùm sufficiet,

THESIS IV.

Lucis Virtutes designat.

Lux igitur, cujus natura in summa subtilitate, globu-
lorumq; mobilitate, comite interdum calore, consistit,
vitæ autor, à Deo secundum specierum conditionem, eò
consilio determinata est; ut connatarum idearum, virtute
benedictionis divinæ insitarum, ductum sequatur, defini-
tasq; sphaeras spirituum subsidio, in aptâ materiâ expli-
cet. Princeps enim, si hominem excipias, creaturarum
ac primò post aquæ chaos producta substantia omnibus
rebus, nutu Divino immissa, quas mox in sole collecta per-
petuò radio animat recreatq; . Imò tantæ dignitatis æ-
stimata, ut incomprehensibilem Dei Majestatem non a-
ptiori alio, quàm lucis elemento sacer codex interprete-
tur. Ut de Ethnicorum theologis nihil dicam, quorum
quidam nimiam superstitione abrepti solem Deum venera-
ti sunt; corpora non mortua modò, sed & viva id pro-
pter

pter flammis consecrantes, lampadesque, ut *Statii* epitheto utar, vivas immortalis animæ simulacra accedentes. Plura hic de lucis animæque naturâ adjicere non vacat. Videatur *Bartholinus de luce animal.* *Petr. Job. F. b. in pantheo chim.* *Robertus Fludd. à fluctibus.* *Fortun. Licetus.*

THES. V.
Idearum Doctrinam profi-
tetur.

Licet verò neminem tam obscuræ indolis esse credamus, qui luci hanc animæ dignitatem derogare sustineat; futuros tamen suspicamur, quos idearum assertio offendere possit. Quem scrupulum ut eximamus, sciendum, non vanas per aëra volitantes imagines, falsò Platoni affectas & mundi spiritui subjectas; sed æterna, quæ naturâ fiunt, rerum exemplaria, *Seneca* mente *Epist. 58.* nos intelligere. Quam sententiam, præter naturæ consensum, *Marsilii Ficini* autoritate roboramus: *Deum namque, in- quientis, quis dicet fecisse, quæ non noverat, & si noverat prius, quàm fecisset, erant apud illum eò modo, quò sempiternè & immutabiliter vivunt. Facta autem eo modo, quò unaqueque natura in genere suo est: adeò ut idea ad Deum, intellectio Dei, ad mundum sensibilem exemplar, ad seipsam revocata essentia vocanda.* Quòd si omninò exempla quis urgeat; attendat, si connatis parùm fidat, ad fortuitas adventitiasque, miseras matres sæpe multantes peregrinâ impressione corruptas, nec morbificas ex *Tarantulæ* ictu morsuque canis rabidi natas, aut arte in equorum generatione vel ovium, quale artificium *Jacobi* fuit productas, prætereat.

THES. VI.

THESIS VI.

Animam unicam asserit.

Ast nullam numero distinctionem anima (de immortali non loquimur, mentem enim animæ à Deo infusam, hanc verò corporeæ moli destinatam cum *Platone in Timæo* asseveramus) admittit, sed unica subjecti organorumque dispositionem sequitur, siq; diversorum effectuum ratio occurrat, unius animæ distinctæ virtutes atqve opera censenda. Siquidem eadem, quæ appetit, nutrit, digerit, egerit, respirat, sentit, movet generatqve, animæ conditio est; quos varios actus, cum odiosum esset facultatis, cætera, si numerum cohibeas, innocentis vocabulum non ineptè *modorum unius* animæ distinctorum nomine *anonymus* quidam *in Oecon. animal.* exposuit. Et si res secus haberet, totuplici morti etiam obnoxius homo succumberet, quod planè absurdum.

THESIS VII.

*Spiritum animæ vinculum
definit.*

Nunc tertium elementum, spiritus, inter lucem & aquam medii, animæ scilicet vehicula, ut *Platoni in Phædro* audiunt, explicandi. Quos dum *Epicurus* cum *Democrito* igneos, *Baco de Verulam.* flammeos *hist. nat. p. m. 761.* *Prosper Martianus* sulphureos, alii vaporosos, ut nubium vocabulo etiam non abstineant, & rem cum alembico inebriato componant. *Sennertus* noster & ex hoc *Wirdigius* subtilem, calidum, mobilem, *Helmont* vel per *Blas*, item vaporem sanguinis subtilem vitaliter illuminatum *Tr. Blas.*

& de

& de *Aur. vit.* quidam planè incorporeos, *Mayow* nitro-
aëreos (*Levenbook* ferè viventes sed verminosos) alii aliter
definiunt. Nos cum *Hippocr. lib. de Flatibus*, & *Galeno*
lib. 4. de sympt. caus. c. 2. æthereos sive aëreos, lucis parti-
cipes, elasticos, ad varia munia, tum individui, tum speciei,
conservandæ causâ, destinatos statuimus missis *Duncanii*
Lidellii, Laurentii, Fernellii, Argenterii, Varandei à Takio my-
ster. resurr. allegatis descriptionibus.

TH. VIII.

Wirdigii sententiam declinat.

Discedimus autem potissimum à *Wirdigii* opinione,
omnia pro spiritibus, solem scilicet, Oceanum, calorem,
frigus, ossa pariter & pinguedinem &c. reputantis; nisi
forfan, vocabuli errore, minimas particulas seu moleculas
insinuare voluerit: quæquàm denuò non in omnibus spi-
ritus cum exilitate corporum conveniat. Et licet *Hipp.*
l. de diata §. 5. num. 11. omne, quod inter Cœlum & ter-
ram spatium intercurrit, spiritu repletum, & *num. 15.* solis,
lunæ siderumque cursus per spiritus procedere, eosque
ignis (lucis) nutrimentum esse, asserat; non infertur ta-
men idèò, omnia spiritibus constare, aut solem cæteros-
que cœli incolas spiritus vocandos.

TH. IX.

Materiam assignat.

Proximam igitur spirituum materiam aura ætherea
subtilis constituit, maximã partem per inspirationem tam
pulmonum, quàm patentium pororum beneficio colle-
cta, aliquã parte etiam ex assumptorum subtilissima & vola-
B tili

tilli substantiâ aucta. Oportunissimum lucidorum ra-
diorum receptaculum ad explicandos contrahendosque
globulos suos aptè comparatum.

TH. X.

Originem indagat.

Originem verò spirituum animalium ex semine re-
petimus; rati, in vicario cerebro, testiculis vel vesiculis
seminalibus prima cum conjugè lymphâ sponsalia, divini
jussûs benedictione, celebrata esse. Hinc, postquàm per
foecundos amplexus cum ovulo materno (ex quo tam vi-
vipara, quàm ovipara procedere constat) coiverunt, no-
vum quasi vinculum cum lymphâ materna, in cicatricula
sive puncto saliente nectunt, ad nutum irradiantis animæ
lucidæ intenti; à quo impulsus ad sphaeras præfixas prope-
rant, usque dum definitum terminum assequantur: nec
tum quidem otiosi, quia circuitu rotantur perpetuo. Fa-
cile hinc patet, nec cor, nec cerebrum, nec ipsos testicu-
los spirituum officinas esse, cum horum potius auctores
atque parentes illi existant. Et si illa viscera in homine
perfecto aliquid ad rem conferre videntur, colæ tantum
& diribitorii officio funguntur. Neque insuper credibile,
diversis in locis cerebri distinctos spiritus, naturales scilicet
in cerebello, animales in cerebro gigni ac dispensari, uti
Viessonio in Neurographia lib. I. c. 10. duplici licet experi-
mento munito, placuit.

TH. XI.

Motum & circulationem spi- rituum tradit.

Nunc de motu & circulatione spirituum agendum.

Rara

Rara apud autores circulationis hujus mentio, explicatio nulla ferè invenitur. Nobis à multo tempore vero quàm simillima res visa est; quoties enim redeuntis sanguinis vices contemplati sumus, toties providentiam Divinam admirati hæsimus, an in spirituum nobilissimâ familiâ non similes fluxus & refluxus dari possint? Cùm enim sanguinem maximam partem lymphæ spirituumque causâ comparatum esse constet, quibus exutus tantùm non omnis cadaverosus & ad nutritionis officium, vel solo insectorum conchylium marinarumque beluarum quàmplurimum testimonio, ineptus habetur, judicavimus majori curâ spiritus, quàm purpuram illam oportuisse custodiri. Quemadmodum enim maximam partem vitali lymphâ viduatus sanguis venosus ad Cor redit, quo repetito circuitu, quicquid crudioris chyli (hic est, qui V. S. eductus pro sero habetur, gelatinæ proximus liquor) adhæret, perficiatur, ita & spiritus ad extrema effusus non omnes perire, aut insumi, sed meritos glandulis musculorû extremorumque spatiosis interpositis absorptos lymphaticis, ab his oriundis, reddi concludimus; ut, quæ arteriarum sorores venæ essent, eadem lymphatica nervorum conjuges existerent.

THES. XII.

In lymphæ ortum inquiri.

Sicuti autem animæ sive lucis, per ideas determinatæ, vehicula spiritus sunt; ita spirituum comes perpetuus, lymphæ materia: nunc tenui vapore, cùm cerebro exit, perque poros nervorum canales membranarumque superficies se explicat, nunc limpido liquore, partim in sanguine (arterioso potissimum) partim vasis propriis obvio nota-

bilis. Horum vasorum origo, licet oculis non adeò pateat, dum, quod de Nilo asserit *Lucanus lib. 10. Natura*

— — — *Gentes maluit ortus*

Mirari, quàm nosse.

Id tamen concordi Anatomicorum exercitatorum consensu constat, à partium extremitatibus derivari. Et ne experimenta urgentibus dubitandi occasio relinquatur, quatuor illa firmissima fundamenta vel invitis persvadebunt.

(1) Valvularum refluæ lymphæ oppositarum præsentia: (2) hærentis vel extra vasa luxuriantis aut congelatæ tumores. (3) *Marci Aurelii Severini à Bartholino laudati*, & (4) *Richardi Loveri, lib. de Corde cap. 2.* adducta experimenta. Quorum illud vulneratâ arteriâ, hoc injectâ vasis sanguineis ligatura magnam vim collectæ lymphæ oculis exposuit.

TH. XIII.

Officia spirituum & lymphæ exponit.

Sive igitur immediatè admissa, sive ex assumtis evoluta spirituum materia in subsidium deficientis antecessoris, insiti forsan, succurrit, officioque triplici nutritionis, sensus motusque involuntarii in corde, diaphragmate, musculis thoracis, fibris ventriculi & intestinorum aliisque partibus peragendo præest. Hinc cerebro per caroticas & vertebrales admotus, inque cinereæ partis glandulosa substantia (modo forsan non absimili, quæ gossypii, aut bibulæ chartæ beneficio in sublime acta salia volatilia à sordibus abluuntur). Magis abstersus, partim cogitativis in homine facultatibus, partim sensuum ac arbitrii nec non ipsius generationis organis, nomine, non ingenio mutato, desti-

destinatur. Ast plane singulare quid circa motum horū spirituum attendendum occurrit; siquidem reciproco & retrogrado, non impetuoso licet, sed placido & undulante, quamdiu Reipublicæ animalis pax durat, nec intestinæ intemperativorum affectuum seditiones aut alia morborum vis urget, feruntur. Eā enim ratione sensibilibus rerum impressiones cerebro advolutæ percipiuntur, quatenus perpetua globulorum contiguitate, à fonte usque ad extremos apices extensi, impulsivè, mutuo contactu communicant, ad exitum licet, (sive à centro ad peripheriam,) ipso somni otio etiam procliviores. Ex quibus facile colligi potest, non omnem spirituum affluentium apparatus in partibus absorberi, sed, cum amica lymphā reducem, cor versus pertingere.

TH. XIV.

*Lympham spiritu inebriatam
exemplis declarat.*

Sed verò diffidentes adhuc allatis argumentis lectores suspicor, quos oculatos animatæ lymphæ testes, tam naturalis, quam præternaturalis statūs inductione, præstare expediet. Prima quæ se offert, non saporum modò, sed universæ valetudinis interpretis saliva est; quam stomachalis fermenti characterem gerere h. e. spiritibus abundare, appetitus testatur: simul ac enim naturæ stimulus, antequam de cibo capiendò deliberatur, urget, benigni huius menstrui liquor promptè affluit invitum sæpe invitans, vitalemque virtutem assumtis in ipso masticationis actu imprimens. Si enim negetur cibus lymphā, ut in febribus ardentibus evenit, etiamsi copiosum liquorem substituas, cadaver potius chyli, quam succi nutritivi emulsio expe-

standa. Nec spirituum modò, sed idearum feracem frequentissima contagii scorbutici venereiq; propinati exempla confirmant. De cætero insipida conclusio spiritibus seu salibus exhaustam salivam contendentium, quòd lingvæ arbitro arcani salis sapor non pateat. Præterquam enim, quòd mille saporibus gustûs organon corruptum sit, nullaqve, à sensus negati testimonio, ad rei negationem consequentia valeat, & bruta sæpe homines hac virtute superent, facilis distinctio occurret inter salia latentia, & aperta. Sic in ebore & C. C. limato rara saporis vestigia; cùm igni exposita tota ferè in salia volatilia facescant. Nec prætereundum à *Takio jam in Chryfogon. animal. p 23.* allegatum à nobili amico institutum experimentum, quia magna vis salivæ collecta in gelatinam coacta destillationiqve exposita copiosum salem largita est. Alterum exemplum sperma suppeditat, quantum enim spirituum jacturam prodigi experiantur, luxuriæ supplicia ac voluptatum usuræ, virium langviores, membrorum impotentia, visûs extinctio & ipse sæpè interitus indicant.

TH. XV.

Plura ex statu naturali argumenta depromit.

Quòd si adversa spiritui & lymphæ communia fata sigillatim attendere vellemus, morborum catalogi ac integra commentaria conscribenda restarent. Missò itaq; miro affectuum animi cum lymphæ consensu, (qua spiritibus, vel senescentibus, vel excitatis, & hæc vel decoquitur vel exultat,) neglectoqve universi corporis diluvio,
Rachi-

Rachitide item, Diabete, Sudore Colliquativo, Elephantiafi, Scorbuto, Morbo Gallico, aliisque publicis in vasoribus, compendii amore, insidiosos hostes, malignos morbos explorasse iuvabit. Hæc malignitas an cum Hippocratico illo *Divino*, *Harvæi* opinione, *lib. de generat. animal. Exercit. 26. pag. 8.* quasi vitam habente (quanquam vocabulum illud *Cous* ipse *lib. de morbo sacro*, distinctis thesibus declinare videatur, ac ex imperitia & superstitione hominum irrepsisse testetur; cui sententiæ etiam, præter *Galenum Comment. in Hippocr. progn. c. 2. text. 71. Hoffmann. assentitur Pathologic. Rejection. th. 118.*) an fermenti specie operetur, ut cum multis aliis, nostro *Sennerto* placuit? An in sale volatili acri toto genere anomalo vis lateat, ut *Sim. Paul. digress. de febr. thes. 42.* statuit. An ex vermium examinibus *Hauptmanno & Kirchero, in scrutin. pest. interpretibus* procedat, definire difficile est, maximè cum *Scaliger exercit. 218. lib. 8. quæ temperatos animos latent, curiosis illudere solere, tempestive moneat*; malui- mus tamen de symbolis esse, & cum *Fracast. de morb. contag. lib. 2. c. 3.* affirmare, malignitatem ipsam animam (lucidam) & spiritalem virtutem inficiendi vi pollere. Scilicet ita comparatum esse hoc virus, ut vel spiritus exagitet nimis ac dissociet, vel detineat & moretur, vel turbet aut vario modo inquinet, indeque nec lymphæ parcat, nec ipsi luci, utpote cui molestas fuligines & lethales ut plurimum eclipses excitat. Sive id ab intestinis causis, sive ab externis, siderum scilicet inclementi aspectu, sive subterraneo aut marino halitu peregrino, sive denique tempestatum, cladis aut annonæ occasione oriatur. Extraordinarius enim ac Deo proprius modus ad hoc examen non pertinet.

TH. XVI.



TH. XVI.

Damna malignitatis allegat.

Tametsi igitur res ad oculum clarius ostendi nequeat, ex effectu tamen discitur, spiritibus lymphæque, intactis, sæpe reliquis corporis partibus vim immediatè inferri; dum, virium inexpectata jacturâ, totus homo ferè collabitur, oculi connivent, facies mutatur in Hippocraticam, pulsus debilis, interdum velocior, interdum tardior solito, ordinatus & minus, appetitus prostratus, respiratio laboriosa, cor anxium, cerebro nunc magis nunc minùs læso, aliquando vigiliis, aliquando narcotico affectu urgente morte interim, præ foribus, ægrum opperiente. Nollem tamen alios quoque morbos, quibus se jungere miasma malignum, vel quos invitare solet, omninò excludi.

TH. XVII.

Solatia commendat.

Transeundum igitur ad summa auxiliorum capita, quibusque tanti momenti malis obviam iri possit, sedulò cogitandum. Nulla enim vis interna crudeliùs malignitate sævit. Cùm itaque spiritibus maximè infestus Aër corruptus, corrigendus erit potissimum; quod quidem omnium optimè fieret loci mutatione: sed cùm id morbi breves periodi, & patientis langvor rarò permittant, de alterando solliciti debemus esse. Præstitit hoc in publico Hippocr. excitato odoratorum & sulphure balsamico abundantium lignorum incendio, quem imitari eadem ratione liceret, cùm nostris quoque regionibus idem beneficium concesserit natura, junipero pinoque abundantibus

dantibus, quibus pulverem pyrium, funes militares Lunā
fen &c. adjicio; sed hæc ad communem aëris Regionem
spectant. Proximè ambientem verò & jam admissum
corrigere res altioris indaginis. Quare expuriorum sul-
phurum saliumque apparatu materia petenda, utpote
quæ nihil aliud sunt, quàm lux & spiritus concentrati.
Unde non ineptè *Hornius in Arca* (nî fallor) *Moyſis* so-
lem salem sparsum, salem verò solem concentratum ap-
pellasse videtur,

TH. XVIII.

Ad specialia pergat.

Summa hæc ut assequamur arcana, suprema regio,
magnetismo intercedente, exoranda est, ne vires suas be-
nignas, instar radiorum solarium speculi ustorii figurâ
captorum, largiri nolit: Quod artificium, utut oppidò
rarum, non impossibile tamen reputamus. Quamquam
enim *Paracelsica*, *Mizaldi*, aliorumque *figura Talismanica*
suspectæ esse queant, ideò tamen reliqua artis effecta non
erunt inficianda. Quibus forsan affine mirandum illud
Cornelii Drebelii experimentum, (cujus *Digbaus in sua de*
Veget. Plantar. orat. & Boyle in tr. de aër. exper. p. 248, me-
minerunt) quæ Regem Angliæ Jacobum sub Thamesis un-
dis, stupendo successu, navi, præter comites, duodecim re-
migibus animatâ, exceptum hospitem aluit, deficientem-
que auram vitalem, admoto naribus vitro, quoties opus
esset, aperto restituit. Quam historicam fidem temerasse
religioni ducimus, quare fabulæ simillimum exemplum
Arabibus, à filio ad temporis exiguum momentum, chimi-
ci liquoris ope, vivis redditi, referente *Mandelslo in Itin.*
Persic. l. 4. prætermittimus. Cæterum illuc referenda
C forsam

forſan certæ Indicorum Medicorum ſectæ familiaris cu-
randi methodus, quæ per inſufflationem, teſte *Takio in*
Myst. reſurr. omnibus malis mederi contendunt. Hujus
magnetismi aptiſſimum ſubjectum, cum *Cosmopolita, Epi-*
log. XII. tractatum, multisque aliis; Nitrum ſtatui-
mus, ſal verè Hermaphroditicum, ſolis ſalisque particeps, ſeu ſali-
no-ſulphureum, cui jam pridem *Petr. Job. Faber in Pantb-*
chim. c. 40. lib. 4. immortalia encomia deſtinavit. Non
ſilentio involvendus quoque beati *Balduini* conatus lau-
dabilis, quem auri auræ benigniſſimus ac naturæ familia-
riſſimus liquor ſanè non feſellit. Certius tamen quid
in ipſo nitri ſpiritu, ſi cum triplo balsamici liquoris oleoſi
combinetur, reperiri poſſe, perſuaſi ſumus. Neque reli-
quos ſpiritus, imò phlegmata acidorum caſtigantium vo-
latilia, maxime vitrioli & ſulphuris, ab *Helmontio tr. Ar-*
bor Vita circ. ſin. Tr. tumul. peſt. S. Hippocr. redivivus com-
mendata, excludimus.

THEſ. .XIX.

Circa animalia occupatur.

Devolvimur nunc ad forum propinquius, magis ob-
via amplectentes. Inter quæ, ex omnibus generibus, A-
nimali, vegetabili & minerali, ſalia ſulphuribus animata,
tam fixa quam volatilia, eminent. Ac ut animalia prius
attingam, præter viperarum (in cuius cura myſterium la-
tere, *Helmont. Tr. Tumul. peſtis* affirmat) ſal microcoſmi,
ſive ex ſanguine, ſive cranio, ſive urina paratum ſingu-
lare quid fovet, ſiquidem abſterſum cum balsamicis ap-
propriatis & blandè anodynis junctum effectus ad ſtupo-
rem præſtat. Imò ipſa lucis præſentia in Phosphoro ani-
mali

mali obvia rem planiorem exhibet. Unde pilulas illas exercitatisimi & sagacis Chimici *Kunkelii* haud rejiculas, non repetendas modò, sed & elaborandas magis, utpote sine dubio profuturas, commendamus, maximè si cum camphoratis aliisque balsamicis uniantur. Siquidem certò non tam speramus, quàm confidimus fore, ut ex Phosphori sive lucis arte concentratæ occasione, magna naturæ effecta sint proditura. Ridiculum lapidem Bezoardicum, tot seculorum admiratione cultum (qualia fata *Tbee* brevè tempore experietur: fortè & *Chocolata* & *Coffe*, novis fraudum occasionibus succrescentibus) omninò rejicimus, nostris scilicet regionibus usualem, præter experientiam, gravissimorum virorum autoritate, *Alexandri Massariae*, *Francisci Valesii*, *Martini Rulandi*, *Herculis Saxoniae*, *Caspari Baubini*, *Caspari Hoffmanni*, *Antonii Rechi*, *Simonis Pauli l. c.* permoti.

THES. XX.

Ad vegetabilia tendit.

His proximè succedunt vegetabilia, quorum Princeps ponemus *Vinum*; in eo enim omnia, quæ languens natura desiderat, modò generosum sit, & tempestivè concedatur, reperiri constat. Quòd si Ars accedat, quisquiliisq; rejectis, generosissima elementa colligat, ac cū symbolizantibus in homogeneum elixir cogat, voto responsura credibile est. Quibus simul *Citrata*, *juniperina*, *alexipharmaca* cum camphoratis adjicimus.

THES. XXI.

In mineralibus desinit.

Neque mineralibus metallisque hæc virtus negata, utpote

pe in quibus, contradicente licet *Platero, quæst. Therap. 91. p. 261.* insignes virtutes latent, quæ quàmvis vulgus non capiat, prudentiores tamen non fugiunt. *Qvale quid Aurum, maximè si Augurelli consilio l. 2. Chryfog.*

— *Purum atq; omni purgatum sordè metallum
Accipias, cujus secretà in parte recessit
Spiritus* — —

(Non verò Tincturas aut Pulveres quosvis fictos, solo pretio decepti emptoris, nominis omen implentes,) antimonii item ac Mercurii sulphura fixata, nec non lapides pretiosi, præ cæteris Smaragdus, etiam nostras verè, ob evidentem lucis admissionem, Hesperii nomine insigniendus, præstat. Quò etiam reliqui lapides lucentes à *Barthol. 6. 2. de luce animal.* allegati referri possunt.

THES. XXII.

Colophonem imponit.

Modus operationis per Diaphoresin & sudorem, quibus mediantibus non tertia, sed tres partes morborum certò profligari possunt, maximam partem peragitur. Hoc enim pacto omnes malignos ferè morbos propelli palàm est. Cum enim lymphæ, ac hujus officina, glandulæ, etiam miliares (nisi virus summè volatile) ut plurimum affligantur, bubonibus, Anginà, reliquisque exanthematum generibus interpretibus, alia commodior via vix excogitabitur, naturà maximè monitrice, ad peripheriam scilicet proclivi. Qui motus etiam, non infelici imitatione, vesicantium adminiculo, in malignis, ab Artis peritis promovèri consuevit. Restaret adhuc synovia excutienda, quæ ex vulneribus lymphæ vidua, spiritibus orbata, imminen-

tis

tis gangræna, & sphaceli prodromus, stillat, magnum argu-
mento nostro pondus additura. Sed hæc hæc vice sufficiant.
Unicum tamen minimè silendum restat, scilicet ne ca-
daverosam quidem lympham spiritibus omnibus exutam
esse. Si enim hydropicorum aquæ, vel ingentis tumoris
planè purulenta materia una vice exantletur, lipothymi-
am gravem, sæpè cum vitæ periculo inieqvi constat. Ad
ultimum cum *Hofmanno in Præfat. de Formar. orig.* ad
Adrian. Spigel. Lectorem Arbitrum juxta mecum homi-
nem esse certus sum, minimè prohibiturus, quò minus
totum negotium sub incudem revocetur. Fortassis enim,
uti *Galenus* ait, vera sunt, quæ attuli: fortassis non ita,
ut verius quid inveniri possit.

S. D. G.

COROLLARIA.

I.

*Vomitoria selecta, cæteris paribus,
tutissima in malignarum principio
medicamenta.*

II.

*Purgantia verò pessima;
Ni, cum fata volunt, bina venena
juvent.*

C 3

III.

III.

Venæ Sectio remedium in hoc statu suspectum.

IV.

Opiata cautè & parcâ manu, miscenda.

V.

Diascordium Fracastor. sulphure antimonii fixato auctum, omni Theriacâ præstat.

VI.

Mixtura simplex, Tinctura Bezoardica, Elixir Propr. vera paucissimis nota.

VII.

Elixir Viperarum, Tinctura Corall. & Essent. Tartari vera, ut à vulgore mota, ita effectus præstant haud quotidianos.

PRÆ-


PRÆSES

ad Doctiss. Dn. Respondentem.

EX Hippocratis scholâ prodiisse
mihi videris, Charissime DN.
LANGENSTÄTTER; quòd in re difficili,
nec hactenus expeditâ, quàm obviâ,
ingenium experiri maluisti. Ex-
positum sanè argumentum pluri-
mis, quæ momentâ habent, difficul-
tatibus est, ut, nisi à confirmato judi-
cio exercitatisimi Medici explica-
ri posse, vix credam. Non poeni-
tebit Te tamen operæ, licèt nec
Tibi ipsi, nec aliis feceris satis. Imò
de errore Tibi gratulaberis, si me-
liora, datâ scrupuli occasione, ex
monitore didiceris. Ego sanè, si
quid ponderis veritati inest (cur e-
nim blandiar, non habeo) ingenio
Tuo oblectatus, bona quævis mihi
promisi, quæ eventura, cum DEO
con-


confido. Age igitur, componas Te
ad exemplum Clarissimorum Viro-
rum, BOHNII, cujus eruditissimis
scriptis diligenter uteris, WE-
DELIQVE, à cujus ore per tres
annos, & quod excurrit, depen-
disti. Sic enim & SERENISS. SERVE-
STA-ANHALTINORUM PRINCIPUM
(quos Deus ter felices diu esse jube-
at!) tibi clementissimè faventiū spē
nō explebis modò, sed superabis. Cæ-
terum veniam, ex *Marcello Virgilio*
Comment. in Dioscorid. l. I. c. 104. tibi
polliceor; quod ingeniosior sit natu-
ra, quàm lingua, oculus & pictura
hominis, ut possint extrema illa, sed
exigua rerum discrimina cognosci,
& cognita describi, præsertim pau-
cioribus, toto aliquo seculo, hujus-
modi observationibus, nec eodem
modo, eadem tradentibus.


Vale.



DE CORPUS







01 A 6507


ULB Halle
002 937 859

3



017





I. N. 7.

SPIRITUUM CUM LYMPHA CON- JUGIUM,

DEO auxiliante,

Consensu Gratosissima Facultatis Medicæ,

PRÆSES

DN. JOHANNES THILE,

Medicinæ Doct. & Prof. Publ. Ordinar.

Facultatis suæ p. t. Decanus, ut & Sereniss.

Princ. Servestâ-Anhalt. Archiater,



RESPONSURUS AUTOR

JOHANNES CONRAD SANGENSTÄTTER /

Servestâ Anhalt.

Publicæ Philiatorum disquisitioni

In Auditorio Medico

Ad d.

Mo. M. DC. LXXXVI.

exponent.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

